

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

VII. Ad Insigniores Ciliciae Antiquit: Animadversa

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

Dionysius Afer platani folio similem depinxit, propterea quod talem se ostendit intuentibus, maxime ob maria, quae ibi se insundunt; a septentrione quidem mare Ionium, ab Occidente Siculum, a meridie Creticum, ab Oriente Aegeum, cuius pars est Myrtoum V. Strabo lib. II. et IIX. Agathemer de Geographia lib. I. Eam cum primis nobilitant sinus Corinthiacus, qui Septentrionem spectat: e regione situs est Saronicus, quem islbmus a Corinthiaco seiungit. Alter, cuius pars est sinus Crissacus, Lechaeo, alter Cenraeis, antiquissimo Graeciae navali, clarus est, monumentisque celebratus. Ab Oriente peninsulam contingit sinus Argolicus, a meridie Laconicus et Messeniacus; Chelonites et Cyparissius ab Occidente ad eam vergunt. Promontoria Rhium (cui obversum est Antirrhium) Scyllaeum, Taenarium, Malca, Chelonates, Araxus. Portus commodi capacesque, praeter dicta Corinthi navalia, in Achaea propria, atque adeo in faucibus sinus Corinthiaci, Patrae, in Elide, Cyllene, in Messenia, Pylus, Methone, Corone: In Argia, Nauplia, in Laconia Epidaurus Limera. Omnes hi portus, excepto Epidaurensi, victricibus occupati armis, Venetorum ditioni parent. Tota haec peninsula quingentorum quinquaginta millium passuum circuitu patet: Isidorus tamen trecentis sexaginta tribus mil. passibus ambitum desinit. Quinque metropoles, duodecim anastitum sacerdotia continet, quae sacra ceremoniasque Graecorum profitentur. Pars Graeciae, et arx semper habita est, tam situs loci, quam opportuni aditus ratione. Aestimantur hoc Xerxes apud Herodotum lib. VII. c. 8. Mahometes II, apud Leuclavium. Conf. Strabo lib. VIII. et Geographi recentiores, Quod sane indicium sit imprudentiae et ignaviae Turcarum, qui Peloponnesi urbes portusque negligentius habuerunt.

## VII. AD INSIGNIORES CILICIAE ANTIQUIT: ANIMADVERSA.

Cilicia, extra Graeciam sita, coloniis ex Europa ductis, culta, et Graecae locuta, Graecorumque instituta et disciplinam secuta, situ loci finibusque ab aliis Asiae minoris regionibus se distinxit. Herodotus l. VII. Apollodorus biblioth. l. III. In hoc, et similibus scriptoribus, mythica a veris, dubia a certis, praesertim in nominum rerumque originibus discernenda sunt. De Argivorum colonia in Ciliciam ducta legendi Strabo, et Dio Sophista, qui ut de Tarso et Cilicia, sic Cicero de Epheso, et Ionia, alii de aliis Asiae minoris urbibus regionibusque testantur. Dionysius periegetes in descriptione orbis, ibidem Eustatbius in scholiis, Diodorus Siculus l. XIX. Strabo lib. XIV. Pomp. Mela de situ orbis l. I. c. 13. Plinius l. V. H. N. c. 27. Solinus Plinii compilator cap. XLI. Ptolomaeus Geogr. l. V. c. 8. Stephanus de urbibus

68 VII. AD INSIGNIORES CILICIAE ANTIQVIT. ANIMADV.

in v. πρᾶξᾶ. Graecia proprie dicta Phthiotide finiebatur, quo significatu Homerus antiquissimus Graeciae scriptor, sed bello Troiano recentior, usurpavit. Thucydides de bello Pelopon. l. I. Hinc nomen laxius sumptum, multisque populis extra Helladem commune factum, et postremo etiam gentibus, Asiam minorem incolentibus, attributum est. Graecis dicitur ἡ πῆραν Ἀσυχᾶς ἰθάς.

§. II. Cuius multae urbes commemorantur, sed aliquae earum excisae, in ruinis iacent; omnium caput fuit Tarsus frequentia civium, et cultu animi, literarumque studiis clarissima, et amoenitate Cydni, qui urbem interfluit, maxime ad prospectum iucunda, quae duos oratores genuit, Paulum et Hermogenem, alterum Dei afflatu excitatum, alterum industria sua factum. Strabo, prudens et ingenuus scriptor, Tarsum laudibus extulit, et libro Geograph. quarto decimo tradidit, palmam doctrinae Athenis et Alexandriae praeripuisse. Dio Chrysostomus testatus est, Tarsenses dignitate et divitiis floruisse, ob eamque causam dixit, γυναικας καὶ ὠλεσῆς. in Tarsica altera. Inter Hebraeos fuit Iosephus, qui confirmaret, urbem fama et honore insignem, totius provinciae metropolin fuisse. τῶν (scilicet τῆς Κιλικίας) πόλεων ἡ ἀξιολογωτάτη καλεῖται μητρόπολις ἔσσι. Antiquit. l. I. c. 7. Ante cum Strabo scripsit l. XIV. τὸν μητροπόλεως ἐπέχρασε λόγον. Quod eleganter appositeque expressit Solinus, atque urbem hanc matrem urbium appellavit, cap. XXI. cit. Ex piorum coetu Ignatius, aut quisque antiquus scriptor est, Tarsenses nominavit Pauli cives et discipulos, in epistola ad Tarsenses, quae vulgo magis, quam vere, inter Ignatianas refertur, per antiqua tamen est, et ad historiae fidem, allato nativitate Paulinae testimonio, confert. De Hermogene Tarsensi confirmat Stephanus ὁ ἐθνικογράφος. Eadem in urbe natum esse Aratum, putavit Myrleanus ὁ βιογράφος, quem alii rectius Solensem fuisse, arbitrantur. Opatianum quoque Cilicia sibi vindicat, sed Tarso ortum non fert acceptum. Praeterea Antipatrum, Archedamum, Nestora, Stoicorum placita secutos, patria Tarsenses, imprimisque Athenodoros, a Strabone commemoratos.

§. III. Regio haec a Graecis culta, et ipsos fere conditores superasse credita, atque in duas tributa partes, montibus et mari clauditur, quaeque communitur. Montibus Tauro et Amiano, mari, aut potius maris sinu, qui Issicus dicitur, et communi nomine, magisque noto, appellatur mare Cilicium, quod alluit regionis partem, qua meridiem spectat, et navigationis commoditatem praebet. Ioannes Malala scriptum reliquit, Ciliciam, auctore Theodosto Iunior, bipartito divisam. Verba, quibus hoc indicat sic leguntur. Καὶ Κιλικίας δευτέρην ἀπομερίσας δὲ τῆς πρώτης ἐποίησεν ἐπιτοχίας. Chronograph. part. ult. Duas ergo Ciliciae fuerunt, prima, et secunda: in illa septem, in ista novem sedes Antisitarum fuisse, haud difficile probatu est ex Aelio Conciliorum. Multis ante seculis partem Ciliciae subegit, et stipendiariam fecit Servilius, post quem tota fere imperio subiecta est a Pompeio, et proconsularis, facta, quam regendam Cicero sortitus est, id quod ex Plutarcho

Plutarcho patet in vita Ciceronis, ubi mendose scriptus est Cecilius, qui emendate scribendus est Coelius, ut ex ipso Cicerone l. II. ep. II. fam. liquet. Alius autem est Caecilius, paulo ante, et vero nomine a Plutarcho appellatus in eadem vita Ciceronis, quod ex huius quoque epistolis manifestum est l. II. l. XIII. et lib. XV. ad famil. et l. V. ad Atticum. Tum univcrse in provinciae formam redacta est a Fl. Vespasiano, quod ex Tranquillo constat, in vita Flavii cap. VIII. Altera a Procos. altera a Praefide regeratur. De superioribus rebus addendi sunt scriptores minores, Eutropius, Orosius, Amm. Marcellinus, imprimisque Rufus Festus et Florus, ille in Breviario, iste in Epitome hist. Ro. lib. III. c. 6. Regio est maiorem partem aspera et montosa, propter Taurum. Inde passim mentio τῆ κατὰ Κιλικίας Ταύρου. Pro parte maritima est, et Ὠκεανῶν ὄρεα vocatur. Diodorus lib. XIII. Hi sunt Cilices maritimi, de quibus tradit Livius XXXII. 18. Supina fuit negligentia Editoris Basileensis, qui Ἰστικὸς Κόλπος, Isthmicum sinum, reddidit, lib. XIV. Cydnum mirifice commendavit Dio Rhetor Atticus in Tarsica priore, ubi describitur scite, et nominatur, διὰ τῶν ποταμῶν καὶ κἀλλίς, id est, omnium fluviorum commodissimum pulcherrimusque. Cuius, praeter alios, meminit Pausanias in Arcadico, et fluminis Cydni aquam laudat. Ψυχρὸν ὕδωρ, algidam aquam dicit, qua Cilices in levando aestu, et refrigerando corpore utebantur. Quo respexit interpret, et inia huius effectus ratione, exponit, iucundum aquarum frigus. Nam et ex Cydno bibisse constat, et in eo lavisse accepi, maximis caloribus Fridericum Aenobarbum. De Alexandro M. tradit Iustinus l. XI. c. 8. At minus proprie convertit Romulus Amasicus, cuius interpretationem nihilominus recepit ac approbavit G. Xylander. Strabo Ψυχρὸν καὶ τεραχὺ ρεῦμα vocat quod frigidum et asperum, reddidit interpret, retinetque Casaubonus. Rectius forsitan, ac re, ob quendam ciendi vim exponam, quia et hoc significatu τεραχὺ venit in Graecorum commentariis et glossis; tum argumento est aqua Cydni subtilis et tenuis, quam effectus prodit in corrigendo nervorum vitio, et leniendo podagrae dolore. Fidenter alii difficultatem expediunt, quibus τεραχὺ legentes, auctoritate scholiorum, quae in Dionysium periegeten extant, nituntur. Quibus adeo non repugnat Casaubonus, ut quoque libens assentiat.

§. IV. Iuga quidem Tauri laborum attulerunt iter facientibus, sed Romani, qua erant industria, viam per montem primi, auctore Servilio Proconsule, instituerunt, aditumque transeuntibus aperuerunt. Ora ceteroquin ad navigationem opportuna, materiam aedificantis triremibus praebuit, populusque textrinae assvetus, velis navium, et tegumentis castrensibus faciendis operam dedit, quae summoque fecit. Ciliciam potentibus labor superandi montis, et iuga transcendendi permolestus fuit, apud Livium l. XXXV. et XXXVII. Agathemer cap. VI. πύργῳ τῷ Ταύρω κειμένη ἡ Κιλικία. In Cilicia enim proprie Taurus dicitur, variaeque deinde nomina recipit, Caucasi tamen insignis est, quo a Scythia appellatur. Plinius l. V. c. 27. Portae Ciliciae sunt montis Amanii,

quod nomen Taurus in finibus Syriae assumit, angusti aditus, τῆ Ταύρος ὄρεος τὰ  
 στενὰ καὶ κρημνώδη. Herod. III. 1. ibid. τὸ δύσβατον τῆ ὄρεος, montiumque iugis  
 clausi. Earum mentio est in Datamo Cornelii Nepotis cap. VII. De constituto iti-  
 neris limite, et via per Taurum montem instituta, legendus est Festus Rufus, ex cu-  
 ius breviario verba quaedam paulo ante mutuatus sum, quae sententiam meam con-  
 firmant. Servilii mentio et elogium est apud Ciceronem et Strabonem. De com-  
 moda Cilicum navigatione nibilo pauciora testimonia afferri possunt. Isocrates  
 clasium ibi instructarum meminit in oratione ad Philippum. τὸ τῆς Κιλικίας ναυ-  
 τικόν passim celebratur. Magnas insuper triremes, quarum in Aegeo et  
 mediterraneo mari usus est, in Cilicia extructas fuisse affirmat Diodorus l. XII.  
 Situs loci, quae ad oram maritimam vergit; et navigandi opportunitas, Cilicum po-  
 pulos ad praedationem et piraticam incitarunt. Idcirco bellum contra eos decre-  
 tum, susceptum et gestum est, quo primum vestigales facti, deinde libertate mul-  
 tati, in veteris Romanorum imperii ditionem potestatemque venerunt. Florus l.  
 III. 6. Marcellinus lib. XIV. c. 8. Locus Tranquilli, qui huc spectat, mendosus est;  
 quaquam dubitat Casaubonus, et Thraciam, generali saltem notione, retineri  
 posse, autumat. Sed ratio temporum id non fert, propterea quod Thracia multa  
 ante redacta est in provinciam, Cilicia autem reliqua, et speciatim secunda, serius  
 hac lege constituta, atque in provinciarum numerum relata est: accedit, quod Tra-  
 chaeae cum Cilicia cohaereat apte et componatur, quae alias Cilicia secunda et ap-  
 pellatur. Strabo l. XIV. Eutropius ex emendato codice editus, quamvis aetate  
 inferior, Tracheam cum Cilicia coniunxit, perinde ac Victor: uterque baud du-  
 bie antiquas, et castigatas Tranquilli membranas secutus. Eiusdem sententiae  
 sunt Turnebus, Pancirolus, et Torrentius, ac nostram rebusque, et temporum argu-  
 mentis consentaneam lectionem iuventur. Nec fraudi nobis est Pacanii interpreta-  
 tio, ut regulae, ad quam illa ipsa exigenda est, auctoritas convellatur; venire enim  
 usu solet interpretibus, ut in libros inquinata exaratos incidant, et mendosae er-  
 rorem scripturae incauti sequantur. Neque tanti sunt Annae Tanagv. Fabri F. ra-  
 dem haecenus Ciliciae universae metropolis fuit, sed divisione post instituta, ho-  
 nor divisus, et in Cilicia secunda Anazarbo delatus tributusque est, relicta autem  
 sua Tarso dignitas in Cilicia prima. Evagrius l. IV. hist. eccles. c. 8. Post haec Ana-  
 zarbus, Ciliciae II. metropolis, e ruinis reparata, ab instauratore Iuliano Imp. Iu-  
 stinopolis dicta est, eodem teste asseverante, c. 1. Qua in urbe natus est Diosco-  
 rides, arte et usu insignis medicus, huiusque rei indicio ὁ Ἀναζαρβεὺς cognomina-  
 tus, quem maxime sequendum putavit Plinius senior, plurimamque ex eo retulit in  
 suos libros, historiae naturalis titulo inscriptos. De Tarso cursim addo, fundato  
 per Caesarem imperio, Iuliopolin dictam, quod honori memoriaeque Caesaris  
 da-

datum esse, Dio Cassius testatur. Amplius tradit Zosimus, Iuliani, desertoris sacrorum, cadaver in suburbano eius urbis terrae mandatum. III. 34. Cedrenus tamen et Zonaras mihi auctores sunt, inde Constantinopolin aspartatum, tumuloque illatum fuisse.

§. V. Omnino autem Cilicia a Cilicibus originem et nomen habent, quorum usus late patuit, atque ex Asia minori in Europam, et sigillatim in Graeciam Latiumque pervasit, maxime in castris, et re navali valuit, quod multis auctorum testimoniis comprobatur. *A Latinis ordiar, quorum fontes in Graecia reperiuntur. Cicero in orat. III, quia Verrem, improbum quaestorem, accusat, ei que dat crimini avaritiam, furta, perfidiam, rationes pecuniae male fraudulenterque confectas. Quae res per eum (Verrem) gestae sunt, cum iste (indignus administratione quaestor) civitatibus (Siculis, in quibus Italiae horreum erat) frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret. Asonius Paedianus exponit Ciliciae texta de pilis, in castrorum usum atque nautarum: edit. Aldin. p. 39. Hunc more suo describunt interpretes, Alphonsus Alvaradus, in enarrationibus ad h. l. Dionysius Lambinus, Dionysius Gothofredus, qui totidem verba repetunt, et huius auctoritate interpretis se tuentur. Alii omittunt, et nihil secius in adducta Paediani expositione acquiescunt. Sabellicus eandem in sententiam explicat Svetonium, Aug. cap. LXXV. et testimonio illius utitur, sed non pleno, nec rem navalem complectente, quamquam cilicia vela proprio significatu ad usum navalem pertinere intelliguntur. V. Fragmentum Sisennae apud Nonium in V. centones et cilicia. De his ciliciis nauticis non agit Svetonius, imo ne proprie quidem locutus est, quod colligitur argumento titulorum, ab Augusto additorum, qui rectum aliquid lascivumque subindicarunt. Undenam vero Paedianus rationem explicationis suae acceperit, facile animadvertet, quisquis meminerit Vergilianorum versuum, qui etiamnum veri integrique leguntur, in Georgicorum libro III. 311. 312. 313. Hos enim Servius Vergilii enarrator, non obscure, nec inepte, ad Cilicia accommodavit, quamvis poeta ibi non de pilis bircorum Cilicum, sed Libycorum, (a) quos Africa generat, loquatur. Verum in Cilicia primum haec villosi animalis consura coepit, materiamque praebuit velamentis in texturina confectis. Velamina ex Solino citat Cuiacius, at velamenta is scripsit, quae vox*

ORA-

(a) τὰς τῶν Ἀφρικῶν οὐρῶν passim celebrant scriptores, a quibus differunt οὐρῶν, caprae Getulae, quarum pelles (non pili) ad scuta sua Mauri adhibuerunt. Cironas nominat Scholiastes Iuvenalis in Satyr. XI. 140. Quorum orygam (inscite origum scribit vulgus) meminere Arist. hist. animal. I. III. c. 2. Aelianus de animal. I. VII. c. 8. Plinius H. N. I. II. c. 40. et I. II. c. 53. I. XI. c. 46. Columella I. XI. c. 1. Damascius apud Photium. Martialis auctor est, in Romanorum spectaculis orygas fuisse exhibitos, I. XIII. c. 95. Vbi inepta est interpretatio Domitii Veronensis.

orationi profae convenit, nec tamen a numeris, quibus orationem poetae vincunt, aliena est; velamina autem poetarum propria usus fecit, eiusque differentiam sermonis constituit, quos movere terminos, nemini humanitatis perito licet. Cuiacium in tanta lectionis multitudine memoria sefellit, quod summis saepe doctissimisque viris usu venisse constat. Omnium ceteroquin optime planissimeque Varro de origine et rextura Conciliorum tradidit, in libro de re rustica l. II. cap. ult. Ut fructum ovis e lana ad vestimentum, sic capra pilos ministrat ad usum nauticum, et ad bellica tormenta, et fabrilia vasa. Capra, videlicet non tantum in Cilicia, sed etiam in aliis regionibus, praesertim in Phrygia, quanquam primo Cilices caprarum pilos ad texenda velamenta adhibuerunt. Ad usum (b) nauticum. Hinc myoparones et naves Cilicum expeditae celeresque laudantur, Matth. Beroaldus Chron. lib. IV. p. 231. Et ad bellum tormenta. Nam cilicis utebantur ad excipiendos telorum impetus, ut commodius se defenderent, atque ab interitus periculo corpora prohiberent. Hinc tendi cilicia, Vegetius l. IV. de re militar. c. 6. et latius pandi, Marcellinus hist. l. XX. c. 11. et l. XXIV. c. 2. tradunt, ut laxitate sua prodesse indicarent. Ideo enim adhibita, et hostibus obiecta sunt, ut illius machinarum ad irritum caderent, nec defensoribus nocerent. (c) Horum igitur auctoritate confirmandae sunt veterum sententiae, quibus cilicia a centonibus distinguuntur. Quod neglecte enarrator Servius, et recte a Salmasio reprehensus est, in exercit. Plinian. p. 489. Sed quomobrem in velamenti et velaminis significatu discrimen quaeratur, nulla nec latinitatis, neque antiquitatis causa ratioque evidens adduci potest. Hero scriptor Taclicus Κιλιάκια scripsit, mendose, idque recte in Glossario censuit Meursius, ut ratio nominis Graeci, integritasque sensus auctori constet. Varronis vocabulum, tormenta, Laelius Bisciola in tomenta, resingendum putat, l. V. c. 10. bor. subiecit. Cui tenere non assentior, Servii opinor, expositionibus decepto. Illud autem recte docet Laelius, cilicia esse diversa a diphtheris, quanquam altera vox interdum per alteram exponi solet. Luciani interpres rhenonem vertit; intelligitur autem caprina pellis, quae Pan obiectus fugebatur, apud Iustinum hist. lib. XLIII. 1. Nota est fabula de pelle caprae Amaltheae, quam referre supersedeo. (d) A pellibus traducta est significatio ad membranas et codices, quia his pro papyro saepe utebantur veteres, nomenque adeo diphtherae membranis

- (b) Huc momentum affert, neque omittendum est ius navale Rhodiorum, quod recogitare potuissent interpretes, et Cilicia aptius explicare. In quo vela et Cilicia distincte ponuntur, ista ἀμυρα, haec διφθέρας (non segestria, ut novissima editio habet) appellantur.
- (c) Coria velaque, apud Curtium usu castrensi, IV. 2. 23. ubi vulgo et inquinata legitur, extra teli iactum pro, extra teli ictum.
- (d) Philosophos Anaxagoram, et Hipparchum (recentiorem ac Neronis aequalem) ex pelle caprina pluviam praenunciasse, firmat Aelianus VII. 8. de animal.

branis imponebant. V. Glossae, et Etymologicum in v. διφθέρα, Bon Vulcanius ad Agathiam in notis. Varro scribit, senes in tragoediis ab hac pelle διφθέρας vocari, de R. R. lib. cit. Ut hoc indicio non Pani tantum, qui Romanorum Lupercus est, sed etiam aliis, sigillatim personatis hominibus in tragoedia, attribuat. Graeci alioquin φάγος Κιλικίης (et Κιλικίης) nominant, Latini modo hircos, modo capras efferrunt; neutri perperam, quia ex hircorum, sive caprorum caprarumque villis cilicia conficiebantur. Quam in sententiam legendi sunt Graecorum critici, Hesychius et Suidas, praeter hos Procopius, tum Latini Varro, Vergilius, quem in faceto epigr. secutus est Martialis l. XIV. ep. 140. Solinus, Avienus, Cassiodorus. Si ab usu castrensi discessero, cilicia ad vile ministerium, et ad usum quoque detergendi, ut Columella auctor est, adhibita, sed, ut Barthius in Adversariis innuit, luclui a Romanis accommodata non sunt, neque ideo cum saccis coniunxit Tullius, in orat. Verrin. Haud rectius tradit Philippus Beroaldus in Svetonium, machinas ciliciis fuisse vestitas, ne incendio exurerentur; quippe quod de centonibus dici oportuit. De Ciliciis Scenitarum Arabum, ad faciendam tabernacula comparatis vid. Solinus Polyb. c. XXXVI. Alibi et in imperii Ro. provinciis receptum est, ut ianuis parietibusque aedium praetenderentur cilicia vela, quae aedium non esse, pronuntiat Plinianus l. 7. §. 4. Π. de act. empt. Ex usu recentiori Gallorum (addere potuit, Italorum) interpretatus est Ant. Mornacius h. l. Vtrum auctoritate veterum se tueri debuisset. Illa enim cilicia, quae emendationem vitae morumque veterum disciplinae Christianorum praeferunt, et a poenitentibus olim, aut sequiori instituto a sacri ordinis hominibus induuntur, non sunt huius loci, et alibi in antiquitatibus Ecclesiasticis explanantur.

§. VI. Angustia temporis excludor, et multa omittere necesse habeo, eiusmodi sunt Cilicum mores, ratio imperandi, et genus vitae, studia et artes, terrae fructus, vineae, crocus, unguenta, ferae, speciatim pantherae, opificia, negotiationes et commercia, fraudes, latrocinia, et vi armisque capta, quibus Romanos ad bellum, poenasque iure gentium fumendas excitarunt, conversoque rerum statu, post multas variasque superiorum temporum vicissitudines, in Romanae gentis ditionem redacti, everso multis post seculis Byzantino Imperio, a barbaris devicti sunt, quorum potestate et dominatu etiamnum, mutato veteris provinciae nomine, tenentur. Qui hic legantur, digni sunt Mela, Solinus, Athenaeus, Dio Chrysostomus, Am. Marcellinus, auctor Graecus idemque anonymus veteris expositionis mundi, Constantinus Porphyrogeneta, apud quem Cilices (d) inter tria pessima cappa relati sunt,

K

cui

(d) Malis his facinorosisque opponendi sunt, recti moris homines, et adprime eruditi, sigillatim nunc Chryseppus, Soloe Cilix, apud Solinum c. XLI. Exemplis adducor, ut credam, ingenia Cilicum fuisse subtilia, adeo ut subtilitas haec aliquando ob nimium acumen in vitio esset.



eui suffragatur non ignarus eorum moris Valerius Martialis, Cilices furti postulans, et fures notae rapacitatis vocans. Ex historicis, praeter Latinos iam commemoratos, multa ad res Cilicum pertinentia consignarunt Appianus, Plutarchus, Dio Cassius, sigillatim Cicero in or. Verrin. III. pro Lege Manilia, et in epistolis passim. De vino et unguentis speciatim Athen. lib. I. et lib. XV. de croco Solinus c. l. Adde corium Cilicium, et magnum eorum numerum qui corio operati sunt, ut post Dionem Chrysostrum confirmavit Libanius, quibus testimoniis illustratur Paulus ὁ ἑκωνοντικός, Actuum Apostol. XIX. 3. Eo spectant Vdones Cilicii, quibus centesimum quadragesimum epigramma lib. XIV. inscripsit Martialis. Tapetes hodie Tarsi confectos e Cilicia exportari, recentiores navigationum libri testantur. Pantherae hinc Romam missae atque in publicis ludis exhibitae sunt quarum meminerunt Cicero et Plutarchus. Cilicis cameli setas novo exemplo dixit Nicolaus Villanus Pisteriensis, qui fecit satyram, ab eruditis, et C. Barlaeo magnopere laudatam, quae inscribitur: Dii vestram fidem. Auctor notarum setas de Cilicis exposuit, p. 52. At vero Cilicis hirci setas elegantius multo, et antiquitati convenientius, proferre satyricus potuisset. Reliqua de piratica, et latrociniiis maritimis, deque subsecutis Ciliciae, praesertim regnante Tigrae, commutationibus, ex Graecis pariter Latinisque scriptoribus, qui historiam veteris imperii Ro. composuerunt, abunde intelliguntur.

## VIII. PROPOS. HISTOR. (DE BELGIO.)

**A**ntiqua Belgii historia ex nemine minus peti potest, quam ex Dione, tum quia quatuor deperditos historiae Livianae libros, pro eo ac par erat, non supplevit, tum quia Belgium propius non cognovit, tum quia multa praeteriit, quae aliunde hauriamus, tum quia pleraeqve notae numerorum et vocabula in eo sunt depravata. Quamquam haec non impediunt, quominus Dionem inter prudentissimos historiae augustae scriptores numeremus.

§. II. Is vero Belgas nullo alio, nisi Celtarum nomine appellavit, Caesarisque fidem alioqui secutus, Belgarum duntaxat vocabulum immutavit, Celtasque est interpretatus, quos Caes. Belgas vocavit. vid. Dion. l. XXXIX. Collat. cum Caes. II. B. G. Quod in mentem mihi venit mirari, propterea quod multi, et nominatim Graeci, qui aevo augusto florere scriptores, Belgarum nomen Graece expresserunt.

§. III. Proinde haud levis fuit inscitia Latini interpretis, quum Belgas ex-